



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 106. Ludovicus de Nagarets de la Valeta Cardinalis vita functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Sæc. XVII. obiit, ingenti & ovium & Fratrum lactu
 A. C. 1639. apud suos sepultus. Edidit acta Synodalia, Institutiones pro Clero Auximensi, Epistolas Encyclicas ad suos Fratres, necnon testamenti sui tabulas.

§. CVI.

*Ludovicus de Nagarets de la Valeta
 Cardinalis vita functus.*

Ferrer. Hist. cont. Hisp. cap. 2. t. 12. pag. 337. **E**jusdem Mensis die vigesima octava Septembris in Gallicis castris decessit Ludovicus de la Valeta patria Engolismensis, qui non ex animi indole,

Vid. supra §. 9.

qua potius ad bellica propendebat, sed ex Parentis sui voluntate Ecclesiasticum induit, ac pinguisimis beneficiis, & Abbatiis saginatus, tandem ex Tolosano Archiepiscopo Cardinalis renunciatus est, quamvis nullo Sacro ordine esset initiatus. Postea dimisso Archiepiscopatu ad militare transiit Gallici exercitus regimen, ubi in inferiori Germania Lendrecium urbem vigesima sexta Julii die occupavit, in Belgio in Hispanos movit, atque in Italia Sabaudia Ducissam contra defuncti Ducis Fratres tutatus est. Demum vero Rivolæ morbo correptus obiit, armis magis, quam rebus Ecclesiasticis natus; quocirca Pontifex comperto illius obitu pro eo, utpote non Cardinale, sed

Frau-

Franciæ Marescallo consuetas preces in Sæc. XVII.
 Purpuratorum Collegio fundi noluit, A. C. 1639.
 propterea vero Galliarum Regis indi-
 gationem incurrit.

§. CVII.

*Arnaldistæ ex Abbatia Portus Regii
 in Campis ejeti.*

Cum in Jansenismi Historia frequens
 occurrat mentio Portus Regii in
 Campis, haud injucundum erit, suc-
 cinctam saltem illius subjungere rela-
 tionem. Hoc nomen igitur inditum
 erat Abbatiae Ordinis Cisterciensium ab
 Odone Sullio Parisiensi Episcopo circa
 Annum Domini millesimum ducentesi-
 mum quartum pro duodecim Moniali-
 bus fundatæ, ac sexto lapide ab urbe
 Parisina distitæ. Augebantur hujus Ab-
 batiae reditus liberalitate ipsius S. Lu-
 dovici Franciæ Regis, insuper Hono-
 rius III. Papa amplissimos eidem con-
 tulit favores, concessitque, ut Laici
 tedio hujus sæculi ad vitæ correctio-
 nem permoti in segregato ædificio sa-
 latis portum invenire possent: unde
 accidit, quod plures generis nobilitate,
 ac scientia celebres Viri relicto sæculo
 ad ædes, ubi olim S. Theobaldus hu-
 jus Abbatiae Superior habitabat, soli-
 tudinis ac pietatis amore confugerint:

*Racin. Abr.
 Hist. de
 Port-Royal.
 Heliot. Hist.
 des Ordr.
 p. 4. c. 44.
 tom. 4.*